

SI VENDITO PIGNORE AGATUR.

8.30.1

*Imp. Alexander A. Agrippae.*

Praeses provinciae aditus, si probatum fuerit tuum creditorem, cui ius distrahendi pignora fuit, dolo malo fundum vendidisse, quanti tua interest restituere tibi eundem creditorem iubebit.

1 ¶ Quod si de bonis creditoris condemnati solvi pecunia non potuerit et probatum fuerit emptorem mala fide emisse, offerenti pecuniam cum usuris, quanti fundus venit, restituere tibi fundum cum fructibus malae fidei emptorem iubebit.

*PP. k. Sept. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.30.2

*Idem A. Aemilio.*

Servos, quos nullo iure a creditore venisse dicis, pater tuus vel tu, si hereditas eius ad te pertinet, a possessoribus petere potes. Quod si usucapti sunt, petat pater tuus pretium eorum a creditore, qui non iure eos servos vendidit.

*PP. III k. Ian. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.30.3

*Idem A. Claudio.*

Si uxor tua praesidi probaverit, cum aureos triginta deberet, servos suos amplioris pretii per gratiam aureis viginti creditorem venumdedisse eumque solvendo non fuisse, iubebit emptores recepto pretio restituere servos.

*PP. XVI k. Oct. Maximo II et Aeliano cons.*

[a. 223]

8.30.4

*Imp. Gordianus A. Eudemo.*

Cum contra bonam fidem venditionem obligatae possessionis a creditore factam adleges, non observatis, quae in distrahendis pignoribus celebrari consueverunt, adito praeside provinciae experire actione competenti non tantum adversus creditorem, verum etiam adversus possessorem, si fraudem eum participasse cum creditore potueris docere, ut revocatis, quae mala fide gesta constiterit, et fructuum ratio et damni quod inrogatum apparuerit haberi possit.

*PP. k. April. Sabino II et Venusto cons.*

[a. 240]

8.30.5

*Impp. Diocletianus ei Maximianus AA. et CC. Nonnae.*

Si creditore pignus priusquam ei satisficeret distrahente non per collusionem emptor comparavit, successor eius de superfluo, non emptoris heres, qui rem possidet, conveniendum eat.

*S. XVI k. Ian. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]